

Rome, 8 Juin 1601.

Legi tuas litteras, ad me et ad Summum Pontificem datas; quas nullo
 eidem modo reddendas existimavi. Etenim miratus esset vehementer, ejus
 modi litterarum genus ex Eremo prodiisse. Evidem religiosis viris om-
 nia cupio, dummodo ea ad spiritum augendum, non autem ad sensus foven-
 dos mulcendosque pertineant. Veri atque perfecti religiosi, discipli-
 nam monasticam, quantumvis arduam atque difficilem, nunquam duram in-
 tolerandamque appellaverunt; sed vocaverunt eam potius jugum suave et
 onus leve; quibus eam nominibus etiam Christus affecit. Etenim ejusmo-
 di vitae ratio, quam sensum judicio tanquam aspera ac dura rejicia-
 tur, caritati tamen levis atque jucunda contingit. Quo fiebat, ut ve-
 ris ac germanis illis eremitis adeo non esset durum, carni superflua
 denegare, ut etiam intolerandum videretur, eidem, quae sunt ad vitam
 necessaria, tribuere. Neque propterea aliquo immaturaे mortis metu
 corripiebantur, immo praecclare secum actum iri existimabant, si quam
 primum soluti vinculis corporis, ab hoc tenebricoso carcere, in Chris-
 ti Domini conspectum, qui est lux vera, prodiissent. Peto igitur a te,
 ut sanctorum Patrum vitas attente percurras, diligenterque Dei optimi
 Max. in te beneficia perpendas, a quo in istum tam altum Christianae
 vitae locum vocatus es; neque paratam ab illo laborum ac molestiarum
 mercedem tibi e manibus elabi patiaris. Nemini jejunium vel oratio
 vitam ademit; aegritudo quidem certe, ob id contracta, quod eo, quod
 concupiscimus, careamus, mortem solet maturiorem efficere. Itaque le-
 gendo meditandoque exhilarandus est animus; illudque sedulo cogitan-
 dum, quam parvo Deusrecio aeternam coelestis Regni felicitatem no-
 bis addicat; cum eam velit esse mercedem levissimae hominum operae,
 brevissimique laboris. Quod licet cognoscere, si velis, ex iis, quae a
 D. Bernardo traduntur, in extrema parte sermonis trigesimi in Cantica.
 Tum profecto intelliges, quam sit indecorum ac turpe viro religioso,
 nimia tuendae valetudinis cura torqueri. Ac, ne postulatum tuum Pont.
 Summo deferrem, fuit in primis causae, quod narras, rem totam Congre-

/ gationis Regularium judicio ab eodem Pont. fuisse permissam, ejusdemque Congreg. decreto statutum, ut in tua vocatione permaneas. Non enim fas esse arbitror Christiano cuiquam, nedum religioso, tantae gravitatis viris, quibus sacer ille conventus a Christi Vicario institutus constat, non acquiescere; de quibus Christus inquit: Qui vos audit, me audit. Totos quadraginta annos in eo Religiosorum Ordine vixi, qui est in suis legibus observandis sane accuratus ac diligens; ac docuit me longus usus, vere Religiosis nihil arduum, nihil durum videri, et ejusmodi de necessitatibus corporis querelas ab iis prodire, qui sibi ipsis perfecte non renunciarunt, neque ita multum perfectionis studio tenentur. Quaeso, ut quae dicuntur a me, qaequi boni consulas, ac totus sis in Dei ac superiorum tuorum potestate, ex D. Petri consilio, omnium sollicitudinem tuam projiciens in eum, quoniam ipsi est cura de nobis..

10 / Deum pro me ora. Romae, VI Idus Junii 1601.

15 /

Jani Nicii Erythraei Epistolae ad diversos, Cologne, 1649. Epist. 1
Traduction faite par cet auteur sur l'original italien.